


547617

Monau Jakob
Holtzbecher Anna
1589



Monau, Jacob [1589]

Holtzpecher, Anna

NUPTIIS SECUNDIS,

quâ genus, quâ virtutem, quâ doctrinam,

Nobilissimi & Clarissimi viri, Dn.

IACOBI MONAVI

patricij & Iurisconsulti Vratislauicnsis:

cum

Virgine pudicissima, venustissima,

ANNA HOLTZPECHERIA.

Nobilissimi & Clarissimi viri, Dn.

PAVLI HOLTZPECHERI

I. V. Doctoris & inclutæ Vratista-

uæ Syndici Consultissimi,

filia:

**GRATVLATIONES ET
EPITHALAMIA**

amicorum.



HELMÆSTADII

Excudebat Iacobus Lucius, Anno 1589.

NOBILI GENERE

doctrina, virtute, Dn.

Iacobo Monauio, patritio & Iuriconsulto
Vratisl. V. C. L. amico veteri
& præcip.

S. D.

REINERVS REINECCIVS.



gratas litteras tuas, Iacobe Monauî, *ἐναγ-
γίλια* mihi significare visas. Cognoui enim
inde, quod cupidè semper exoptavi, nempe
te post tot annorum orbitatem denuò ad
nuptias animum appulisse. Nec me fugit,
quod hac in parte necessitudini nostræ offi-
cium debeam. Utinam ij mihi neruî, ea facultas esset, vt
quod animus gestit, præstare possim. Interea vt vt ea se res
habeat, gratulor ex animo, & bene vertat, opto. Nimirum
ciebant sanctissimum institutum tuum multa. Singula
retexendo explanare necesse non esse duxi. Quorsum
enim? Inprimis tamen, quæ pietas tua, menti & oculis
obseruabatur cœlestis sanctionis *ἀξίωμα*. Nam vt nati, vt
facti simus, meministi. Quin etiam auditione accipio, te
è familia tua solum ferè & vltimum superare. Hic quam
nouam obsedissem animum tuum religionem, necesse est?
Ergo & ad id vnde orsus fueram regrediar, præclare & lau-
dabiliter abs te factum, quod *δύμοι ἡμίθεα*, secundum
Poëtam diutius esse noluisti, & quidem ea tibi connubij
foedere sociata virgine, quæ generis splendore, quæ mo-
rum integritate responderet. Non sum nescius quid è
Græcorû non tam sapientia quam opinionibus inferri hic
atq;

atq; opponi possit. Sunt enim disputationes eorum, sunt
γῶραι, διπλοῦμα, παραδειγμα in medio. At sanctior
nobis cœlestis institutio, sanctior honestas sit. Nec quasi
machinæ deessent, quibus impiæ peruerfitatis magistri im-
pellerentur atq; euerterentur. Sed manum de tabula, ne
longius à scopo. Restat, faustos Hymenæos, prolem, & po-
sternatem diuturnam, cœtera prosperi matrimonij *ἀγαλ-
μα* precer. Quod si id agerem vt in alterutrius familiæ
laudes digrederer, quis mihi dicendi campus pateret? Ve-
rum, quæ grauitas tua, nihil horum desideras, imo vbi re-
rum testimonia adsunt, quemadmodum est apud Salu-
stium, verbis haud opus.

Sanè Iuris peritorum eloquentissimi, & eloquentium
iuris peritissimi D. Pauli Holtzpecheri, quo sponsa patre
procreata, honores & in reipub. merita oculis cernimus,
mente veneramus. Adderem insuper domus tuæ orna-
mentum egregium D. Petrum, fratrem, Archiatrum in-
quam Cæsareum, nisi tanti viri in ipsa gloriæ crecentis
quali herba extincti, mentio acerbissimum nobis dolorem
resuscitaret. De sino igitur: & quicquid huius, non dico
scripsi, sed iudi, boni consulas oro. Nam tot annorum a-
micitia nostræ exquisitiis & elaboratiis quid debebatur.
Atqui ita modo casus ferebat, vt quem esse me oportue-
rat, haud esse licuerit, negotio nescio quo obstrepente &
stylum interturbante. Ignoscas igitur, & conatum saltem
haud improbabis, deniq; animum erga me tuebere pristini-
um, hoc est, mutuum, mihiq; perspectissimum. Ego
partes meas deseruisse videar, nullo loco nullo tempore
committam. Vale & Salue. r. x academia Iulia Helmæ-
steti XX. VIIbris cl. l. XXXCIX.


A 2

PARO.

PARODIA AD ODEN
XXXV.

LIBRI PRIMI CARMINVM
HORATI FLACCI.

Ad Venerem.

 quæ beatam Diua tenes Cyprum,
Præsens venustâ progenie domum
Augere nostram, vel pudicæ

Spem subolis inhiberi ma-

Te semper vrget sollicitâ prece (tri:

Virens Ephœbus: te dominam thori,

Quæcunq; sub curâ fideli

Matris adhuc agitat puella.

Te miles acer, te catus arduæ

Alumnus vrbis, nautaq; peruigil,

Casæq; viles rusticorum, &

Magnificæ venerantur aula:

Fastidioso ne pede deferas

Nouos amores: neu populos recens

Igni calenteis tædiosæ

Impediant iterum repulsæ.

Te semper anteit Hymen amabilis,

Flores Sabæos, & faculas manû

Quas-

Quassans niuenti: nec Cupido
Cæcus abest, iuuenisq; Liber.

Tecum Voluptas & Charites eunt
Myrto reuinctæ: nec latus abnegant,

Vt cumq; sponсорum penates

Ominibus subis auspicatis.

At Rixa discors, & petulans retro

Cedit Simultas: diffugiunt Minis

Cum Lite proiectis Furores,

Damna pijs dare pertinaces.

Adsis paranti sacra MONAVIO;

Tædisq; faustis: ne cte iugalibus

Vinclis amantes, & pudicæ

Progeniem domui ministra.

Eheu dolorum & mœstitiæ satis,

Curaq; / quid non vita tulit mali

Cœlebs? inexpertum superstes

Quid precor? vnde rei leuamen

Non flagitatum propositæ? preces

Num conquierunt? ô vtinam nōuos

Subinde constringas amantes,

Præsidijs superum beatos.

Henricus Meibomius, acad. Iulia

Professor, Helmstadt Saxo-

num admodulabatur.

O D A.

IAM nunc eburnam promere fas chelyn,
 Dextraq; lætam prendere barbiton:
 Iam tempus alternos & ore
 Et fidibus resonare cantus.
 Apollo adestum: vosq; Aganippidum
 Huc huc Sororum ter tria numina:
 Mecum tenellis gutturillis
 Virgineum melos intonate.
 Mecum Monau limina ad aurea,
 Mecum Monau ad læta cubilia
 Cum plausibus Diuæ secundis
 Pergite, perge simulq; Phœbe..
 Sponsæ perenni nomine nobili
 Sponsam vetusto sanguine nobilem
 Iugemus, & fausto iugatam
 Coniugij in thalamo locemus.
 Fores, Monani, pande fores: adest,
 Rursum excitauit quæ resides tibi
 In corde pridem congelato,
 Vranimis facibus calores.
 Adest, medullas cuius in intimas
 Ab ore dio & purpureis genis
 Ignes nouos altè imbibisti,
 Impatiens vidui cubilis.
 Rectè, quid vltra marcidus in pigro
 Lecto otiosè, frigidum onus, cubes?
 Nec strata tecum sentias dehinc
 Dulcibus incaluisse pugnis?
 Rectè Cupido te iaculi sui
 Percussit ictu: rectè Amathuntia
 Flammante strictura tibi cor
 Igniuomæ faculæ perussit.

AEtas

AEtas adhuc tibi integra sanguine
 Vernante floret, floret amabile
 Corpus, puellari calori
 Idalioque iugo sat aptum.
 Quid? an PROPAGO clara MONAVIAE
 GENTIS, tuo quæ se capite erigit,
 Te fulsa nunc solo est: in vno
 Te trahet occiduam ruinam?
 Indignum! vt illud aureolum genus,
 Quo BRESLA cœlo fert caput æmula,
 Quod vltimus miratur orbis,
 Germine floridulo haud perennet?
 Hoc illa nolit, lucida quæ polo
 Vestro superbit nomine Cynthia:
 Hoc ceteri omnes & simul Dij,
 Dijq; Deæq; hominesq; nolint.
 O magne Musarum & Charitum trium
 Patrone: mysta ô Palladis innubæ,
 O vnice Astrææ sacerdos,
 Suadæ anime, ac Themidis medulla:
 Per quem orbe nostro barbaries procul
 Fugata: per quem splendidior redit
 Priscæ modò eruditionis
 Et veteris Latij venustas:
 Quem fama pennis concita gemmeis
 Vastum per æquor aëris euehit,
 Monstratq; spectandum vsq; terris,
 Quà moriturq; oriturq; Titan.
 O quem propinqui Dij mihi sanguinis
 Iunxere nexu, quo mea fors nimis
 Nimisq; felix, ipsa nulli
 Inuida, Dijs etiam inuidenda est.

A 4

Tu

Tu me beatum nomine de tuo
Sperare famæ lucem aliquam facis:
Tu das, tui ut persuasæ amore
Me faciles quoque ament Camœnæ.
Sed quò quis ardor me rapit? heic gradu
Mens siste Phœbo plena. mane ad thorum
Tui Monaul, iam nec eius
Indue te freta in alta laudum.
Ergo ô Monau, STIRPS mage ut INCLVTA
MONAVIORVM pullulet ac mage:
Age aureum thori iugalis
Scande agili pede, scande fulcrum.
En virgo castos deiiciens oculos
Exspectat aduentum & trepidat tuum.
Audin' pudico è corde quales
Ingeminat gemitus? frequenter
Suspiria audin' mittit ut ardua?
Viden' tenellum pectus ut vritur,
Quod mutua incendere flammâ
Et Venus & Veneris puellus?
Dij, coniugali quam benè vinculo
Iuncti, nouello suauiter in thoro
Vitam pari felicem amore
Vnanimisq; animis agetis!
O te beatum hac virgine coniugem,
O te beatam hanc coniuge virginem!
Qua dignior nec huic maritus,
Nec tibi dignior hac marita
Vnquam inueniri sit potis vllibi.
Nam quid puellæ splendida stemmata
Ortusq; tentem raucum hiantis
Commemorare lyræ sonore?

Quid

Quid prædicem formæ æthereum decus,
Qua dia tantum cedit ei Paphi
Regina, quantum ipsi Dionæ
Fœmineum genus omne cedit?
Quid mentis altæ, supra alias item
Dotes amœnas, quid niuis æmulos
Moresq; mellitæq; linguæ
Cinnameos referam lepores?
Noſti illa tute rectius omnia,
Ipse omnibusq; heic cernis acutius:
Dum reliquos qui obcæcat infans
Te magis exacuit Cupido.
Sume ergò lætus, quam tibi ducimus
Tuas inædes, in thalamum tuum,
Viræq; curarumq; vitæ
Et sociam & comitem perennem.
Sume: & secundas sic modo Nuptias,
Aſtris ſecundis incipe, perfice;
Ut, quod cluent, verè per æuum
Sint tibi, ſintq; tuæ ſecundæ.

T.

Daniel Rindfleisch.

ELEGIDION.

Certus eras, vitæ reliquum quod, magne Monau,
Cumq; foret, viduo tranſigere in thalamo.
Certus eras: neq; tam firmam iaculis faculisue
Quibat Anior mentem nec superare Venus.
Indoluit, veſtri generis quæ & nominis auctor,
Nocturno regnat lucida Luna polo.

Et

Et quid, ait, duris adeò impenetrabile telis
 Cor riget, Idaliiſq; ignibus indomitum?
 Ergóne, quando vnus ſuper eſt, in quo vna Monaul
 Spes generis, ſpes & nominis vna ſita eſt:
 Duritiã illius, gens tota à ſtirpe peribit,
 Gens orbis columnen deliciãq; meã?
 Ergóne iam haud ſurget, ſeclo ac veniente virebit
 Florida perpetuo germine poſteritas?
 Siccine. ſed procul ò totum hoc. Gens incluta mecum
 Mecum erit: & terris non iubar hocce prius
 Deſinet auratos radios diffundere, cœlum
 Quãm ipſa meo æternũ lumine deſtituam.
 Aut ſi ſtat fato, lucem iſtam tollere terris,
 Cœlo ego dein lumen vſq; negabo meum.
 Nam mihi quale fiet lumen, lux illa Monaul
 Sanguinis obſcuras ſi cadat in tenebras?
 Hęc Phœbo pro fratre mihi eſt: hinc lampada claram
 Mutuor, & rutilã ſplendo læta face.
 Sic ſecum: & curis ſimul artem aſtumq; remiſcens,
 Conſultum ipſa viam qua ſibi, quærit, eat.
 Fortè roſas violãſq; inter recubare Puellum
 Aligerum Paphio conſpicit in nemore.
 Ille altum tenero capiebat pectore ſomnum,
 Laſſus vana tuum in ſtringere tela iecur.
 Haic pharetramq; arcumq; rapit: fortiſq; ſagittæ
 Inſt. iurat nitidam in cote repente aciem.
 Inde arcu lunato ipſa in te miſſile ferrum
 Torquet Cyprigenã certius artifice.
 Vix ſtridet neruo, cordi ilicet hæret arundo,
 Tuq; iaces totum hoc perditus icſtu animum.
 O benè! quære ſacrj medicum nunc vulneris, almã
 Pectus hians ſubitò qui tibi ſanet ope.

Sed

Sed præſtò eſt medicina. En aureolo ore puellam:
 Hęc tibi Pæon adeſt. hęc tibi certa Salus.
 Iungite vos thalamo, paribusq; incendia flammis
 Stringite, felici ò corcula nexa iugo.
 Sic Dij, ſic Phœbe vult veſtra: cui agmine longo
 Phœbeam ex vobis gignite progeniem:
 Vt ſtirpis claræ lux omnes clara per annos
 Splendore irradiet poſtera ſecula ſuo.
 Fallor? ita zn denſo rutilans examine, vobis
 Fœcundo ſurget de thalamo ſuboles:
 Perpetuò aucta olim numerosã vt luce laceſſat
 Sidereas cœli per ſpatia ampla faces?
 Non fallor. quin ipſi eadem quoq; deniq; Phœbo
 Fulgebit radiis inuidioſa ſuis.
 Hã, rum, Luna, tuis gaude & fruere vſq; Monauis,
 Nec minor ipſo altis fratre triumpho in equis.
 Tum tibi erit pleno vſq; incendere lumine frontem,
 Et nitidum in media fundere nocte diem.
 At tu, Breſla, nimis felix! quo nomine te ſas
 Dicier, hos tales cùm capies radios?
 Non vrbs, non orbis: cœlum, cœlum ipſum eris, in qua
 Sidera tot tantã luce coruſca colent!



*Valentinus Acidalius
 VViſtobienſis.*

FINIS.



